

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2605

Auteur(s) : Gervais de Nocé [écuyer]

Bénéficiaire(s) : Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1283, 2 décembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Vente au prieuré de Saint-Martin, par Gervais de Nocé, écuyer, de tout le domaine situé dans la censive d'Étienne Jonchet, près la Calabrière.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 99, p. 111-112.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis ego Gervasius armiger, dictus de Noceyo, salutem in Domino. Noveritis quod ego, de consensu ac voluntate heredum meorum, vendidi et concessi, quitavi et tradidi viris religiosis priori et monachis prioratus Sancti Martini de Veteri Bellismo, pro decem et octo libris turonensisbus mihi ab ipsis in numerata pecunia persolutis, omne dominicum feodum, jus, justitiam et districtum que ego et heredes mei habebamus et habere poteramus, in censiva Stephani dicti Jonchet, prout ipsa censiva in terra arabili, ortis, domibus et rebus aliis se proportat, una cum duobus solidis census anni et sex gallinis, que mihi idem Stephanus super ipsa censiva annis singulis faciebat. Que sita est in feodo meo juxta Kalabreriam, in parochia Sancti Martini predicti, ipsum feodium meum, com omni jure, justicia, domino et districtu in ipsis religiosis transferens, ab eisdem religiosis et suis successoribus, nomine sui prioratus, omnia predicta in jus et proprietatem eorum conversa, tenenda, habenda et imperpetuum jure hereditario possidenda, libera, quieta et immunia ab omni racheto, tallia et omnibus aliis serviciis, exactionibus et correvis, auxiliis et rebus aliis quibuscumque ad me et heredes meos, ad quoscomque alios pertinentibus quoquomodo.

Ego vero predictus Gervasius, non coactus nec deceptus, juravi tactis sacrosanctis evangelii, quod in predictis, seu in aliquo predictorum, per me vel per alios aliquos, nichil juris imposterum reclamabo ; sed ad omnia predicta, ab ipsis religiosis ac eciam mansionariis et hominibus in dicto feodo existentibus quiete et libere ab omnibus serviciis, talliis, exactionibus, correvis, auxiliis et rebus aliis quibusconque, ut dictum est, possidenda, me et meos heredes, hereditatem meam presentem et futuram ubiconque existentem, ac eciam ipsius hereditatis possessores et successores honero et astringo ad garantizandum et defendendum contra omnes et desserviendum pro ipsis religiosis et suis mansionariis, si deservire quoquomodo vel rachatare contigerit, vel necesse fuerit, ipsum feodium erga dominos capitales ; hoc solum retinens in feodo predicto quod mansionarii ipsius feodi venient ad molendinum meum de Sisseyo molere bladum suum, prout faciunt alii homines in meo feodo existentes, et si de molendo alibi fuerint deprehensi, emenda que me posset contingere erit prioris predicti.

Si ego autem vel successores mei defecerimus in solucione seu satisfactione servitutum et rachatorum ipsius censive et feodi, seu aliarum censivarum et feodorum erga dominos capitales, et occasione hujusmodi sepedicti religiosi seu mansionarii expensas sustinuerint vel dampna incurrerint, tenemur ego dictus Gervasius et successores mei eisdem religiosis et suis mensionariis, ad solum dictum prioris qui pro tempore erit, expensas resarcire, dampna et deperdita restaurare. Et ad hec specialiter et similiter me obligo et successores meos et bonorum meorum possessores. In cuius rei testimonium eisdem priori et monachis presentes litteras contuli, sigilli mei munimine roboratas.

Datum anno Domini M° CC° octogesimo tertio, mense decembri, die mercurii ante festum beati Nicholai hyemalis.